JOHN CARTER BROWN
LIBRARY

Vartan Gregorian
EIGHTEENTH-CENTURY
BOOK FUND

14774

14774/38398

200–
PRBM

j
p
p
E
n
L
C
ſ
ſt
ti
v
bi
ſu
u
li
po
ti

N
ſ

ta de este Oficio.

IN FESTO
SS^{MI}. ROSARIJ B. M. VIRG.



Lectiones propriæ ſecundi Nocturni, & Orationes Officij, & Miſſæ.

A Sac. Rituum Congregatione recognitæ, & approbatæ, & ab omnibus vtriuſque ſexus tam Sæcularibus, quam Regularibus, qui ad horas Canonicas tenentur, in poſterum recitandæ,

Oratio.

DEUS, cuius Vnigenitus, per vitam, mortem, & Reſurrectionem ſuam, nobis ſalutis æternę prȩmia comparavit: Concede quæſumus, vt hæc myſteria Sanctiſſimo Beatæ Mariæ Virginis Roſario recolentes, & imitemur, quod continent; & quod promittunt, aſſequamur. Per eumdem, &c.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

CUM Albigenſium hæreſis per Toloſatium regionem impiè graſſaretur, at-

que

RPJCE

que altiús in dies radices ageret; Sanctus Dominicus, qui nuper Prædicatorum Ordinis fundamenta jecerat, ad eam convellendam totus incubuit. Id vt præſtaret validiús, auxilium Beatæ Virginis, cuius dignitas illis erroribus impudentiſſimè petebatur; cuique datum eſt cunctas hæreſes interimere in vniverſo Mundo, enixis precibus imploravit: à qua (vt memoriæ proditum eſt) cúm monitus eſſet, vt Roſarium populis prædicaret, velut ſingulare adverſus hæreſes, ac vitia præſidium, mirum eſt, quanto mentis fervore, & quàm felici ſucceſſu injunctum ſibi munus ſit executus. Eſt autem Roſarium certa precandi formula, qua quindecim Angelicarum Salutationum decades, oratione Dominica interjecta, diſtinguimus, & ad earum ſingulas totidem noſtræ reparationis myſteria pia meditatione recolimus. Ex eo ergo tempore pius hic orandi modus mirabiliter per Sanctum Dominicum promulgari, augerique cœpit, quem eiuſdem Inſtitutorem, Authoremque fuiſſe Summi Pontifices, Apoſtolicis litteris, paſſim affirmarunt. Tu autem, &c.

Lectio v.

INnumerabiles porrò fructus ex hac tam ſalutari inſtitutione in Chriſtianam Rempublicam dimanarunt, inter quos Victoria illa meritò numeratur, quam Sanctiſſimus Pontifex Pius Quintus, & ab eo inflammati Chriſtiani Principes apud Echinadas Inſulas de Turcarum Tyranno potentiſſimo reportarunt. Nam, cum illa ipſa die ea Victoria relata ſit, qua die Sanctiſſimi Roſarij Sodalitates per vniverſum Orbem conſuetas ſupplicationes peragerent, ſtatutaſque preces de more funderent; ijs precibus haud immeritò refertur accepta. Quod quidem cúm etiam Gregorius Tertius decimus teſtatus eſſet; vt pro tam ſingulari beneficio Beatæ Virgini ſub appellatione Roſarij perennes gratiæ vbique terrarum haberentur; in Eccleſijs omnibus, in quibus Altare Roſarij foret, prima quaque Octobris Dominica Officium ritu Duplici majori perpetuó celebrandum indixit: alijque Pontifices Roſarium recitantibus, ejuſdemque Roſarij Sodalitatibus Indulgentias penè innumeras conceſſere. Tu autem, &c.

Lec-

Lectio vi.

NUper verò Clemens Vndecimus animo reputans inſignem pariter Victoriam anno milleſimo ſeptingenteſimo decimo ſexto in Hungariæ Regno â Carolo Sexto in Imperatorem Romanorum electo, de innumeris Turcarum copijs relatam, eo die contigiſſe, quo Feſtum Dedicationis Sanctæ Mariæ ad Nives celebraretur, atque eodem fermè tempore, quo Sanctiſſimi Roſarij Confratres publicam, ſolemnemque ſupplicationem in Alma Vrbe ingenti populi concurſu, magna que religione peragentes, fervidas ad Deum preces pro Turcarum depreſſione funderent, ac potentem opem Deiparæ Virginis in auxilium Chriſtianorum humiliter implorarent; eam ob rem, Victoriam illam, necnon liberatam pauló poſt eorumdem Turcarum obſidione Corcyrenſem Inſulam ejuſdem Beatæ Virginis patrocinio piè cenſuit adſcribendam. Quamobrem, vt hujus quoque tam inſignis beneficij perennis ſemper, & memoria extaret, & gratia, Sanctiſſimi Roſarij Feſtum eadem die, eodemque ritu celebrandum ad Eccleſiam vniverſam extendit. Hæc autem omnia Benedictus Decimus tertius in Breviario Romano noviſſimè apponi juſſit. Sanctiſſimam ergo Dei Genitricem cultu hoc eidem gratiſſimo jugiter veneremur, vt quæ toties, Chriſti fidelibus, Roſarij precibus exorata, terrenos hoſtes profligare dedit, ac perdere, infernos paritèr ſuperare concedat. Tu autem, &c.

Secreta.

FAC nos, quæſumus Domine, his muneribus offerendis convenienter aptari, & per Sanctiſſimi Roſarij myſteria ſic vitam paſſionem, & Gloriam Vnigeniti tui recolere, vt eius digni promiſſionibus efficiamur. Per eundem, &c.

Poſt communio.

SAnctiſſimæ Genitricis tuæ, cuius Roſarium celebramus, quæſumus Domine, precibus adjuvemur; vt, & myſteriorum, quæ recolimus, virtus percipiatur, & Sacramentorum, quæ ſumpſimus, obtineatur effectus. Qui vivis, & regnas, &c.

VRBIS,

VRBIS, ET ORBIS.

SUpraſcriptas Lectiones proprias, & Orationes Beatæ Mariæ Virginis Sanctiſsimi Roſarij ab Eminentiſſ. & Rmô. D. Card. Salerno diligentèr reviſas, & in Sac. Rituũm Congr. relatas, Sac. eadem Rituum Congregatio ad enixas Eminentiſsimi, & Reverendiſsimi D. Card. Pipiá Ordinis Prædicatorum Magiſtri Generalis inſtantias approbavit, ac in Officio, & Miſſa diei feſti ipſius B. Mariæ Virginis Sanctiſsimi Roſarij ab vtroque Clero tam Sæculari, quam Regulari vtriuſque ſexus univerſalis Eccleſiæ ad formam conceſsionis á ſa: me: Clementis Papæ XI. ſub die 3. Octobris 1716. factæ in poſterum recitari; & in Breviario, ac Miſſali Romano apponi debere cenſuit. Si Sanctiſsimo Domino Noſtro viſum fuerit. Die 10. Martij 1725.

Factaque deindè per me Secretarium de prædictis Sanctiſsimo D. N. relatione, Sanctitas Sua benignè annuit. Die 26. ejuſdem Menſis, & Anni 1725.

F. Card. Paulutius Præf.

Loco ✝ Sigilli.

N. M. Tedeſchi Archiepiſc. Apámenus S. R. C. Secr.

Superiorum permiſſu: MEXICI: Apud Hæredes Viduæ FRANCISCI RODRIGUEZ LUPERCIO. Anno Domini 1726.

BA700
C363o